15v

In precedenti capitulo audiuimus marie desponsacionem.
Consequenter audiamus eius mirabilem impregnacionem
Cumque maria in virgine esset ioseph desponsata.
Ad domum parentum in nazareth est reuocata.
Interim autem quod ioseph necessarijs nuptiarum intendebat
Ipso nesciente maria per spiritum sanctum concipiebat
Non est suspicandum quod angelus inuenerit eam sine clausura
Cui solus deus sapuit et sine deo viluit omnis creatura
Ipsa non tamquam dyna sola curiose circumvagabatur. Genesis xxxiiij
nec tamquam thamar cum viro familiariter conuersabatur.
Ipsa enim tamquam sara numquam virum desiderauit
et tamquam iudith solitaria manens ieiunijs et orationibus vacauit.
Ideo ioseph grauidam eam considerans stupebat.
et timens ac tremens hec apud se mente reuoluebat
Inpossibile est hanc per fornicationem concepisse
quia constat tam sancte tam caste tam abstinenter eam vixisse
Non erat commessatrix non potatrix non deliciosa.
non corizatrix non saltatrix non iocosa
Publica loca semper vitabat et quantum potuit fugiebat
solitariam vitam contemplatiuam amplectabat et diligebat
Omnia mundana solacia et gaudia abiurabat.
tantummodo in rebus diuinis et celestibus delectabatur.
A puericia sua in templo domini remanebat
Vbi cum nullo virorum aliquid commune habebat
Et nunc postquam ad domum parentum repatriauit.
semper in cubiculo clausa in orationibus perseuerauit.
Vnde igitur potest hanc concepisse grauidacionem
que numquam alicui peccato dedit occasionem.
Forsan iam impletum est nunc illud ysaie vaticinium
ecce virgo concipiet et pariet filium.
Hec est forte illa de semine iacob puella.
quam spiritus sanctus olim per os balaam prenunciauit in stella
Forsan iam fecit nunc dominus super terram nouum
quod per prophetam est quod mulier circumdabit virum
Hec virgo potest forsan illa virga florifera esse.
que vaticinabatur egressura de radice yesse.
Forsan hec est illa virgo de qua christus nascetur
qui de semine dauid filij iesse nasciturus perhibetur
Aliud autem nequaquam de hac sanctissima virgine estimari potest
et idcirco certissimum est quod ipsa mater christi est
Non sum ego dignus cum tali virgine habitare.
quapropter expedit michi a completione nuptiarum cessare
Et ne forte aliqua sinistra suspicio in populo oriatur
oportet ut occulte et valde caute dimittatur
Ioseph indignum se reputans cum maria timuit habitare
sicut iohannes qui non fuit ausus christum baptizare
Centurio rogauit christum ne sub tectum suum introiret
petrus rogauit eum ut de naui sua exiret.
Mulier sunamitis timuit cohabitacionem helye
sic ioseph cohabitacionem matris dei marie.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0030
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt